

Ob 30



Einladungsschrift

zu der

am 4ten und 5ten Oktober 1844

anzustellenden

öffentlichen Prüfung und Redeübung der Schüler

des

Königl. Friedrichs-Gymnasiums

zu Gumbinnen.

Inhalt:

- 1) Observationes in Horatii Carminum aliquot locos. Vom Prof. Fried. Wilh. Theodor Petreni.
- 2) Jahresbericht des Gymnasiums. Vom Director Joh. Dav. Prang.

Gumbinnen, 1844.

Gedruckt in der Krause'schen Reglerungs-Buchdruckerei.



Handwritten title in Gothic script, likely 'Hilf mir...'.

1841

Handwritten text in Gothic script, possibly 'Hilf mir...'.

Handwritten text in Gothic script.

Handwritten text in Gothic script.

Handwritten text in Gothic script.

KSIAZNIKA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

~~Stadtbibliothek
Gorn~~

AB 47 18

Handwritten text in Gothic script.

Handwritten text in Gothic script.

Academiae Albertinae

almae doctrinarum artiumque cultrici ac nutrici


SECULARIA TERTIA

sincera pietate summaque observantia

gratulantur

Gymnasii regii Gumbinnensis

Director et Praeceptores.



GUMBINNAE.

Typis officinae Krauseneckianae.

—
MDCCLXIV.

Academiae Albertinae

Acta et Decretis

SECRETARIA

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

71

Quam omni tempore Academiae, doctrinarum artiumque propriae sedes ac domicilia, eximio decori ornamentoque Germaniae fuerint uberrimosque ei fructus tulerint, quoniam iis maxime debetur, quod eruditionis subtilitate atque copia incredibili que rerum omnium peruestigandarum studio communis haec patria nostra inter cultiores terrarum gentes altissime eminet, tum hac aetate, quum vel ad vitae usum commerciumque, vel ad publicarum rerum procuracionem constitutionemque multo uberior, quam olim, doctrinae copia subtiliorque rerum multarum cognitio requiratur, in his potissimum institutis futura patriae salus et incrementa posita sunt, praesertim quum ne hodie quidem desint, qui lucis osores, tenebrarum amatores, exactorum seculorum jam dudum expulsos errores obsoletasque consuetudines reduci cupiant. Quo magis hoc tempore, quum **Academiae Albertinae**, illustrissimae studiorum sedi, illud Dei Optimi Maximi beneficio contigerit, ut tribus ab origine sua peractis seculis jam quartum ingressura sit, hanc omnes, quicumque non omnis eruditionis politiorisque humanitatis expertes sunt, studiis suis votisque prosequuntur. Quis est enim, qui non maxima vota pro hujus salute et incolumitate suscipiat, quae ab exiguis profecta primordiis, saluberrimis sapientissimorum principum consiliis clarissimorumque doctorum immortalibus meritis ad hanc qua nunc floret amplitudinem provecta est atque in his

barbariae confiniis, tamquam in statione quadam bonarumque artium praesidio, collocata jam per tria secula non solum imminentem illiae inhumanitatem a finibus nostris defendit, sed etiam clariorem scientiae lucem et intra patriae terminos et extra diffudit? In hac vero communi omnium laetitia quibus magis cordi esse debet, haec sollennia quae instant votis suis ac precibus prosequi, quam iis scholis, quae opus a se inchoatum Academiae perficiendum consummandumque committere, quosque artium ingenuarum initiis imbuerunt, rerum omnium et subtiliore et uberiore scientia expoliendos tradere solent? Sic nos quoque facere non poteramus, quin illustrissimae **Albertinae** hos laetos faustosque dies etiam atque etiam congratularemur votaue nostra munusculo aliquo quamvis levi et exiguo testificaremur. Precamur autem a Deo Optimo Maximo, ut almam **Albertinam** numine suo in perpetuum sospitet, eorum mentes, in quorum maxime consiliis ac voluntate salus ejus sita est, sapientia instruat ornetque, ipsamque non solum per quartum, quod auspiciata est, seculum incolumem illibatamque traducat, sed novis novisque incrementis augeat, viribus corroboret, luminibus illustret, uberrimis denique laetissimisque studiorum laborumque omnium fructibus locupletet.

Gumbinnae, Idib. Sextil. MDCCCXLIV.

Observationes
in Horatii Carminum aliquot locos.

Et si nullus fere est scriptorum veterum, ad quem in omnes partes excutiendum nostris temporibus tanta studia tantasque curas viri eruditi contulerint, quantas in Venusino poëta consumserunt, vel ut carmina ejus novis commentariis explanarent, vel ut naturam eorum ac rationem originesque et consilia indagarent, vel ut in tempora, quibus quaeque scripta essent, inquirerent, vel ut ipsius poëtae vitam, ingenium, mores, et explorarent et aestimarent: tamen ne nunc quidem omnia ita sunt explorata et ad liquidum perducta, ut nulla de his rebus omnibus dubitandi ambigendique materia relicta sit. Itaque quum in enarrandis Horatii carminibus, qui mihi praesto erant interpretum commentarii, non omnibus locis mihi satis facerent, non ineptum fore putabam, si, quam in aliquot locis explicandis sequendam rationem duxerim, hoc loco quam fieri posset brevissime indicarem, ut, in quibus errassem, facilius possem ex peritiorum judicio cognoscere.

I. In Carm. 1, 1, 6.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum

Collegisse juvat, metaque fervidis

Evitata rotis palmaque nobilis

Terrarum dominos evehit ad deos.

Hoc loco ceteris omissis, quae et possunt dubitationem afferre et multam interpretibus attulerunt, illud tantum quaerere juvat, quo sint referenda quamque vim habeant verba terrarum dominos. Haec enim alij ita intelligenda putaverunt, ut terrarum domini aut essent homines potentes multumque in terris

valentes, aut ipsi Romani, aut denique principes ac heroes, qui victoriam in Olympiis certaminibus reportassent; plerique autem ad deos ista referenda censuerunt hoc sensu: ad deos qui sunt terrarum domini. Harum rationum omnium nullam probo. Nam ad deos ista referri, primum hujus complementi tenuitas levitasque vetat, quoniam dii, ut Fea recte observavit, non solum terrarum, sed rerum omnium et coelestium et terrestrium domini sunt, ac multo augustiora de Jove Horatius praedicat I, 12, 14 sqq.

— qui res hominum ac deorum

Qui mare ac terras variisque mundum

Temperat horis.

Propterea Fea deos interpretabatur reges et imperatores, qui passim apud poetas dei vocarentur; Bothius autem istos victores, quos Horatius notat, ita tantum sibi videri posse ad deos evectos esse statuit, quatenus terrarum dii domini essent, quoniam ut mortales non possent nisi partem divinae felicitatis attingere. Comparat igitur, quod nostrates dicunt: er ist ein Gott auf Erden. Quarum interpretationum neutram ferre sermonis sobriam perspicuitatem et elegantiam, non est quod pluribus demonstrarem. Praeterea, si ad deos ista referuntur, in ipso verborum ordine nescio quid languidi jejunique inest, quum, quae per Appositionem aliis vocabulis adduntur, ita tantum recte praemitti videntur, si acuendi augendique, non si minuendi attenuandique vim habent, nisi ubi hoc ipsum agitur, ut primarii verbi sententia ex parte elevetur. Talis autem ratio hujus loci sententiam magnopere infringeret atque enervaret. Separanda igitur a diis sunt illa, de quibus disputamus, sed non ita separanda, ut ipsa per se illud indicent, in quo se verbi (evehit) vis exprimat, quoniam, si hanc sequaris rationem, non possis non dubitare et acquirere, quinam sint isti terrarum domini; neque enim de Romanis separatim, neque de certis hominum ordinibus aut generibus Horatius haec praedicat, sed varia omnino hominum studia persequitur. Mihi igitur per Appositionem illa verba videntur ad praemissum Pronomen quos referenda esse hoc sensu: sunt quos victoria in ludis sacris reportata (palma nobilis) velut terrarum dominos evehat ad deos i. e. qui, quasi sint facti terrarum domini, ad deos evecti sibi videantur s. qui sibi terrarum domini facti eoque ad deorum felicitatem et amplitudinem evecti videantur.

Haec ratio et, si orationis conformationem spectas, simplicissima et ad ipsam loci sententiam accommodatissima esse videtur, praesertim quum sic progrediens quaedam rerum amplificatio efficiatur: non eo contenti quod terrarum domini sibi facti videntur, ad deos ipsos se evectos esse opinantur.

III. In Carm. I, 3, 5—7.

Navis, quae tibi creditum

Debes Virgilium finibus Atticis.

Reddas incolumem precor.

In his vel distinguendis vel copulandis in diversas abierunt partes interpretes; alii enim jungunt haec: debes Virgilium finibus Atticis, alii contra: finibus Atticis reddas incolumem. Ac ne in iis exponendis iudicandisque, quae ab aliis in utramque partem disputata sunt, commorer, breviter, quid ipse sentiam, explicabo. Verissimam enim eorum esse rationem arbitror, qui priorem sequentes rationem hoc modo verba distinguunt:

— quae tibi creditum

Debes Virgilium finibus Atticis;

Reddas incolumem precor.

Ac primum quidem, ipsa verba debere et reddere quam vim habeant et in quibus rebus dici possint, considerandum est. Debetur autem aliquid propria sua vi ei qui dedit vel illud ipsum vel aliud, quo accepto vicissim aliquid, licet non idem, praestandum sit. Sed ita quoque rem alteri dare possumus, ut non nobismet ipsis eam reddi, sed alii tradi velimus ac jubeamus. Quoniam igitur Virgilium Horatius eo consilio navi credit, ut in Atticam eum perferret, recte illa dici potuit Virgilium debere finibus Atticis. Atque hanc esse hujus loci sententiam, his causis adducor ut credam. Reddi enim res, ubi simul indicatur, cui reddenda sit, non potest nisi ei qui vel dedit, vel cui ademta ereptaque est, vel denique in cujus unquam potestate illa fuit, vereque Peerlkampius observavit, ita tantum per Latinitatem Horatio licuisse navem jubere finibus Atticis Virgilium reddere, si patria Virgilio Attica fuisset. Nec vero propterea ejusdem conjectura, in finibus Atticis, opus est. Idem enim illud vocabulum etiam absolute, ut loquuntur, id est, ita adhibetur, ut non modo verbis, sed ne cogita-

tione quidem quisquam notetur, cui reddenda res sit. Tum idem fere est quod acceptum aliquid edere, emittere, dimittere, ut si poetae dicunt aliquem vocem, sonum, sanguinem reddere, vel ut apud Terent. Phorm. IV, 3, 75. Fructum quem Lemni uxoris reddunt praedia. De quo vocabuli usu cur Lueckerus dubitaverit, ego sane, ut multa quae disputavit, non intelligo. Quodsi navis jubetur acceptum hominem reddere, nihil aliud jubetur nisi in terram eum exponere; in quam autem terram Horatius exponi Virgilium velit, inde intelligitur, quod jam finibus Atticis navis eum debere dicta est. Praeterea alia causa, cur, quam supra indicavi verborum distinctionem, vera habenda sit, ex Particulae sic explicatione accedit, quam ii soli mihi recte intellexisse videntur, qui, quam in obtestandi optandique formulis vim habet, ut eam rem indicet, cujus mentione maxime alterum ad preces nostras exaudiendas permovere volumus, eam etiam hoc loco ei tribuunt, ut haec loci hujus sententia efficiatur: redde Virgilium incolumem: sic (i. e. ea conditione) opto, ut te diva cet. Exstiterunt quidem, qui hanc interpretationem reprobantes particulam illam eo sensu accipiendam opinarentur, quo nos dicere solemus: So reise denn mit Gott! At hi vereor ne prorsus diversa misceant sonique decepti similitudine vocabulorum notiones inter se discrepantes confundant. Nam in Germanica illa formula elliptica est oratio, ut Particula so apodosis habeat notationem. Plena enim oratio esset haec: quodsi certum illud et immutabile est, bonis omnibus velim proficiscaris (Wenn es einmal nicht zu ändern ist, so reise denn mit Gott!) Talem autem usum a latina Particula sic prorsus alienum esse, nemo ignorat. Itaque si vera est illa, quam supra dixi, Particulae sic interpretatio, sequitur, primariam sententiae partem verbo reddas contineri. Nam quod proprie sic enuntiandum erat: si reddes Virgilium incolumem, precor, ut te diva cet., id ita poeta immutavit, ut diceret: Precor ut Venus te regat hac conditione, ut reddas cet. Quoniam igitur praecipua vis sententiae in verbo reddas posita est, haec valde infringeretur et elevaretur, si non ab hoc vocabulo apodosis initium caperet, sed huic illa, finibus Atticis, praemitterentur, quo facto haec praecipuum sonum haberent. At non hoc est, quod Horatius optat, ut in Atticam, non in aliam terram navis Virgilium perferat, sed ut incolumem perferat.

III. In Carm. I, 24, 11—12.

Tu frustra pius heu! non ita creditum

Poscis Quinctilium deos.

Tria maxime in his ambigendi materiam afferunt. Primum enim dubitant, num verba non ita creditum ita sint intelligenda, ut Quinctilium a Virgilio diis creditum, an ut a diis Virgilio putemus; deinde, num pius Virgilius in deos, an in Quinctilium fuerit; denique, utrum frustra pius, an frustra poscere Quinctilium dicatur. Ac prima quidem illa Mitscherlichius ejusque vestigia premeus Doeringius in hanc sententiam interpretati sunt: quem diis non eum in finem credidisti, ut tibi eriperetur, sed ut salvus rediret. At quaerimus, quando et qua in re Virgilius diis Quinctilium crediderit. Quod ut explicaret, Mitscherlichius Quinctilium finxit peregre tum profectum Virgiliumque precibus ac votis pro ejus salute susceptis intimum amicum prosequutum esse hisque ipsis precibus eum diis credidisse. At neque ulla istius commenti causa subest, nec, si esset, Particulae ita vis illum verborum intellectum admitteret, quam, nisi quaesitam obtrudere obscuritatem Horatio voluerimus, non possumus non ad ipsum hujus enuntiati verbum poscis referre hoc sensu: non ita creditum, ut eum nunc poscere tibi liceat. Plerique igitur post Mitscherlichium ad Lambini reversi rationem, etsi non omnes verborum sententiam recte perspexisse videntur, tamen in eo consentiunt, ut Virgilio a diis Quinctilium creditum intelligant. Atque hunc verum esse verborum illorum intellectum, meo quidem judicio etiam propter Particulam heu, quae doloris habet significationem, dubium esse non potest, quia constans est Particulae illius ea positio, ut iis, quae dolendi causam afferunt, praemittatur, ut I, 2, 37. Heu! **nimis longo** satiate ludo. I, 15, 9. Heu, heu! quantus equis, quantus adest viris sudor! Ibid. v. 19. Tamen, heu! serus adulteros cultus pulvere collines. II, 14, 1. Heu, heu, **fugaces**, Postume, Postume, labuntur anni. III, 11, 42. Singulos, heu, heu! **lacerant**. cf. I, 24, 11. 35, 33. III, 2, 9. 24, 30. IV, 1, 33. 6, 17. 10, 6. 13, 17. Epod. IX, 11. XI, 21. XV, 23. XVI, 11. XVII, 14. Quocirca si non ad antecedentia, sed ad ea quae subsequuntur Particula heu referenda est, his ipsis verbis, non ita creditum, doloris causam

contineri necesse est: quae nulla erit, si in his verbis de Virgilio votis precibusque cogitabis, quibus Quinctilium diis crediderit, gravissima autem, si in ea conditione sita erit, qua Virgilio Quinctilius creditus esset. Ea enim lege dii Virgilio Quinctilium crediderunt i. e. fructum amicitiae ejus permiserunt, ut aliquando, quum constitutum vitae tempus exactum esset, repeterent, quoniam usuram modo vitae, ut ait Cicero, tamquam pecuniae, mortalibus dederunt. Alterum, quod quaerendum esse dixi, hoc erat, num verba frustra pius, an frustra *poscis* jungi deberent. Equidem utrumque faciendum esse censeo. Nam ne a verbo *poscis* Adverbium illud separetur, partim ea res vetat, quod sane requiritur aliquid, quo indicetur, quomodo s. quo eventu Virgilius a diis Quinctilium flagitaverit; partim illud, quod verbis non ita creditum, causa affertur, non cur omnino poposcerit, sed cur frustra poposcerit. Neque vero ab Adjectivo pius illud separandum est, quoniam et ipso loco, quem obtinet, et versus numero tam arcte hae voculae copulantur, ut nisi violenta verborum distractione dirimi non possint; tum etiam propterea, quod ipsum illud Adjectivum a verbo *poscis* non separari debet. Nam cur generatim Virgilio pietas praedicaretur, quaecumque illa fuerit, nulla profecto causa hoc loco suberat, nullaque in ejus mentione vis nullumque sententiae momentum positum, sed molesta ac languida abundantia erit, nisi hoc ipso illam expromptam esse cogitabis, quod de Quinctilio in vitam restituendo deos flagitaverit. Quodsi neque frustra neque pius a verbo *poscis* separandum est, Adverbii illius vim ad utrumque ita pertinere necesse est, ut arcissime haec, frustra pius *poscis*, inter se copulanda sint. Pietas autem Virgilio quae fuerit, vix dubium esse potest. Nam ne de amore ejus in Quinctilium cogitemus, illud monet, quod vix credi potest, tam ambiguo vocabulo, praesertim nullo notionis suae complemento accuratius definito, Horatium, si illum, quem dixi, animi affectum indicare voluisset, usurum fuisse; praeterea, quum hoc ipso vehementem Virgilio in Quinctilium amorem satis graviter declaraverit, quod illum dixit etiam mortuum amicum a diis repetivisse, inanis sane ac languida sit ista ejusdem amoris significatio. Pium igitur Virgilium poeta appellavit, quod deos in calamitate sibi immissa precibus adiit, quae preces ipsae recte piae dici potuerunt. His igitur disputatis, sententia loci de quo quaerimus sic constituenda est: Tu frustra piis precibus deos

flagitas, ut Quinctilium tibi reddant, quem non ea lege tibi crediderunt, ut, quum constituto tempore obiisset, reposedere tibi liceret.

IV. In Carm. II, 1—2.

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice laninae,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Novissimi interpretes, Orellius, Peerlkampius, Luebkerus, quamquam de Orellio ex Luebkeri tantum nota illud conjicio, haec ita explicant, ut de argento in terrae cavernis metallorumque venis a natura abdito cogitent, idque melius inde putant intelligi, quod Crispum Sallustum, ad quem hoc carmen scriptum est, metallum in Alpibus habuisse Plinius H. N. XXXIV, 2. memoriae prodiderit. Eam vero falsissimam esse hujus loci interpretationem, si quid aliud, certissime mihi persuasum est. Nam si illud Horatius affirmare voluisset, nullius argentum esse dignitatis, nulliusque pretii, quamdiu in terrae visceribus metallisque lateret, eorum his verbis laudaret instigaretque sedulitatem, qui strenue illud ex terra effoderent atque in hominum usum converterent. Verum enimvero tale dictum primum tritae ac pervulgatae quum ceterorum poetarum tum Horatii ipsius sententiae contrarium est, qui uno fere ore repertum aurum argentumque malorum omnium esse causam ac materiam praedicant. In contrariam igitur sententiam Horatius Junonem facit loquentem III, 3, 49 sqq.

Aurum irrepertum et sic melius situm
Quum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere, humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra.

Praeterea autem, id quod maximum est, ista hujus loci explicatio cum totius carminis sententia consilioque pugnare videtur. Laudat Horatius Sallustum, quod aurum spernat atque oderit, si non temperato splendeat usu; praedicat egregiam immortalemque Proculeji in fratres liberalitatem; castigat eorum cupiditatem temeritatemque, qui ne maximis quidem divitiarum acervis unquam satiari possint; eos denique beatos ac solos sapientes summoque honore dignos effert, qui ae-

quo lentoque animo ingentes auri acervos spectare possint; paucis ut dicam, toto carmine graviter monet, ne nimia divitiarum abrepti cupiditate propter ipsas eas concupiscamus, sed tantum iis pretii tribuamus, quantum inde ad hominum vitam utilitatis redundet. Jam vero huic sententiae quis est qui credat Horatium illud opposuisse, nullius esse pretii argentum, si in terrae cavernis lateat? Immo istorum reprobanda erat temeritas, qui insana capti divitiarum admiratione et inexplebili cupiditate, hominum usibus eas subtraherent et ex eorum conspectu removerent. Atque haec sententia primis illis carminis verbis continetur, si cum Mitscherlichio de iis pecuniis haec dicta esse statuimus, quas avari, ut tutius condant atque custodiant, in terra defodiunt atque ita hominum oculis usibusque surripiunt. Etiam illud huic interpretationi magis quam alteri convenit, quod terras avaras Horatius dixit, translato in eas ab hominibus avaris opprobrio. Sententia loci igitur haec est: nihil in argento est coloris i. e. dignitatis, pretii, si propter avaritiam ex hominum usu removetur et in terra absconditur; quod tibi quoque, Sallusti, persuasum est, qui oderis nummos, nisi ex sapienti moderatoque usu dignitatem consequantur.

V. In Carm. II, 3, 5—16.

Dellium praestantissimo hoc carmine hortaturus Horatius, ne vitae fructum brevissimum, quum inevitabilis unicuique moriendi immineat necessitas, sibi ipse moestitia praecidat et intercludat, sed praesentibus vitae bonis ac jucunditatibus, quam diu per fatum liceat, sereno animo perfruatur, ab hac orditur sententia: Aequitatem animi et temperantiam in rebus et bonis et malis conserva, quum moriendum tibi sit, sive moestitiae per totam vitam, sive jucunditatibus perfruendis te dederis. Tum v. 9. haec sequuntur:

Qua pinus ingens albaque populus;
 Umbram hospitem consociare amant
 Ramis et obliquo laborat
 Lympha fugax trepidare rivo
 Huc vina et unguenta et nimium breves
 Flores amoenae ferre jube rosae.

In his distinguendis interpretes in duas discessere partes; alii enim versus 9—12: Qua pinus — rivo, puncto in fine versus 12 posito, a sequentibus secer-

nunt et cum priore stropha jungunt; alii, in fine versus 8 majore adhibita incisione, versus 9—16 una verborum complexione comprehendunt, minore in exitu versus 12 distinctionis signo posito. Ac priorem quidem rationem, quam cum Jahnio novissimi quoque interpretes, Duentzèrus et Luebkerus, amplexi sunt, ego quidem reprobendam omnino censeo. Nam primum, quas vitae instituendae vias contrarias Horatius indicare voluit, eae cum secunda carminis stropha satis distincte declaratae sint his verbis: moriture, Delli,

Seu moestus omni tempore vixeris,
 Seu te in remoto gramine per dies
 Festos reclinatum bearis
 Interiore nota Falerni;

posterioris sententiae pars, jam satis suavibus designata coloribus, ut etiam illustrioribus imaginibus pigmentisque uberioribus exornaretur, non solum opus non erat, sed etiam, si factum illud esset, abundantiae molestiam ac taedium afferret. Hoc enim loco, quum nihil aliud requiretur, nisi ut contraria illa indicarentur: ut unum brevibus verbis notatum est, ita, si alterum per duas paene strophas Horatius persequutus esset, in vitio id esset habendum. Caeterum post illa, in remoto gramine v. 6. sententiamque totam versibus 6—8 satis terminatam et conclusam subsequens illa ejusdem loci descriptio meo quidem judicio languidi aliquid haberet. Praeterea, si secundam et tertiam stropham junxeris, in eo etiam offendas necesse est, quod, quae sejungenda erant, inter se mixta et confusa sunt. Exordium enim et quasi praeparatio monitionis cum ipsa monitione sic erit in unum confusa, ut hujus vis ac gravitas magnopere infringatur. Accedit etiam illud, quod, quum in eo totum carmen occupatum sit, ut ad vitam hilare transigendam Dellium adhortetur, consentaneum est, quod versibus 6—8 exponitur, non id esse quod fecisse Dellium Horatius indicaverit, quem potius moestitiae se totum dedisse significavit, sed quod ut faceret eum impellere atque incendere voluit. In tali autem non vera, sed posita modo et cogitata re, cetera etiam omnia generalioribus latiusque patentibus notionibus significanda sunt, non in loco certo distinctaque descriptione denotato collocanda. Atque illud quidem aptissime ornatissimeque factum est versibus 6—8, ubi omnia in generaliore jucunditatis amoenitatisque notatione conspirant; quae vero

sequitur strophæ v. 9—12, ea subito ad verum certumque locum, in villa videlicet Dellii situm, deducimur. Nam quominus etiam hæc ad communem quandam et infinitiorem rei declarationem referamus, quum lineamentorum colorumque veritas evidensque et per singula diducta rerum expositio, tum illud impedit, quod, quum sequatur **huc** vina — ferre jube, vocula **huc**, quæ ad illum ipsum locum, qui describitur, referenda est, non potest nisi de certo loco intelligi. Ex his, quæ disputavimus, tantum perspici videtur, si secundam hujus carminis et tertiam stropham in unam verborum sententiarumque comprehensionem concludamus, omnia hoc loco ita mixta et turbata esse; ut ubique offendas et in varias incurras dubitationes et difficultates. Contra, si eorum sequimur rationem, qui in fine versus octavi majore usi distinctione tertiam stropham a secunda jungunt et cum quarta in unum ita connectunt, ut **huc** v. 13. referatur ad qua v. 9., omnia sunt plana atque inter se concordant et congruunt. Sic enim strophæ tertiæ is locus describitur, ubi Dellium Horatius curare genium suum jubet. Quod autem contra dicunt, non **huc**, sed eo dicendum fuisse, ut recte ad qua referri posset, id quidem nihil ad persuadendum momenti habet. Primum enim, quo jure Livius Hannibalem non dubitavit dicentem facere XXXV. 19. **Ubicunque** vires, **ubi** arma esse sciam, **huc** veniam, eodem Horatio dicere licuit: **qua** pinus ingens albaque populus umbram — consociare amant — **huc** vina — ferre jube. Præterea ad disserendi quidem subtilitatem severaque pedestris sermonis præcepta convenientius erat eo quam **huc** hoc loco scribere; ad vegetiorem autem clarioremque poëticæ dictionis colorem dilucidiosemque et evidentiosem rerum explicationem et aptius et suavius illud erat, quod Horatius posuit. Hoc enim se non mente solum et cogitatione locum illum comprehendere, sed quasi oculis videre digitoque monstrare fingit, ut jam ipse in eo adesse omnemque ejus amoenitatem percipere sensibus sibi videatur.

VI. In carm. II, 10. 13.

Sperat infestis, metuit secundis

Alteram sortem bene præparatum

Pectus.

Valde me hic locus exercuit et etiamnunc exercet. Nam etsi interpretes ad unum omnes, nulla mota dubitatione, infestis, secundis ita explicant, ut

haec pro in rebus infestis, in rebus secundis dicta esse velint, tamen hoc loquendi genus adeo mihi asperum atque insolitum esse videtur, ut de ipsius interpretationis veritate magnopere dubitem. Nam si Horatius scripsisset: in infestis, in secundis, ut Justin. XXXI. 2. nec minus **in secundis adversa** quam **in adversis secunda** cogitantem, aut omissa praepositione, rebus infestis, secundis, nihil esset in quo offenderem. Num autem Adjectivorum neutra in Ablativo sine praepositione ad tempus aliquod vel rerum statum vel locum designandum adhibita Latinitas ferat, quoniam in hoc nimium obscuritatis ambiguitatisque est, hoc est, de quo valde dubito. Itaque facilius paene ferendum mihi videtur, si infestis, secundis pro Dativis accipiamus. Nam cum sperare alicui rem, metuere alicui rem, per Latinitatem dicere liceat, ut Cic. ad Attic. I, 13, 2. a quo nihil speres boni reipublicae, quia non vult: nihil metuas mali, quia non audet: quod solutae orationis scriptores in rebus hominibusque dicere non dubitaverunt, id a poetis etiam ad tempora rerumque conditionem transferri, non a proprio eorum loquendi genere alienum esse videtur. Utrum sit praefendum, peritiores judicent.

VII. In Carm. II, 11, 4—5.

— nec trepides in usum

Poscentis aevi pauca.

Interpretem alii haec verba ita construunt, ut Genitivum Graeco more suspensum esse velint a verbo trepides: nec trepides aevi (i. e. de aevo) poscentis pauca in usum; alii contra eum ordinem, quo scripta sunt verba, sequentes in usum pendere statuunt ex verbo trepides, hoc sensu: nec trepides de rebus ad vitam necessariis, quum haec pauca poscat. Quorum utrum probandum sit, mihi quidem non dubium est. Quidquid enim ad priorem rationem firmandam defendendamque protulerunt, si incorrupto iudicio ponderaveris, nullius id esse ad rem conficendam momenti facile intelliges. Nemo enim, quod sciam, illud probavit, quod omnium primum docendum fuit, licuisse Horatio dicere trepidare aevi. Ac Luebkerus quidem quae in hanc rem attulit, ea omnia tam aliena ac diversa sunt, ut cum hoc loco comparari non possint. Nam primum, quod in Adjectivis ac Participiis, activam vim habentibus, Latinitas ferebat, id non etiam in Verbis ipsis admisit; nec, si quem timidum procellae

(A. P. 28), rixarum metuentem (C. III, 19, 16) Horatius, anxium vitae Ovidius (Her. 20, 198) dixerunt, propterea etiam in verbis eandem structuram adsciscere sibi concesserunt. In verbis enim iis tantum Genitivum, qui rem eam indicaret, in qua actionis vis expromitur, admiserunt, quae aut animi ipsius affectum aliquem vel motum indicantes translatione quadam ad vulgarem aliquem tritumque latini sermonis usum referri possent, ut Horat. Carm. II, 13, 28. Dulci laborum decipitur sono i. e. deceptus obliviscitur; aut ad Graecam aliquam verborum structuram accommodari, ut Carm. II, 9, 17. Desine mollium tandem querelarum, *λῆγε ὀδυροῶν*. III, 27, 69. Abstineto irarum calidaeque rixae, *ἀπέχον ὀργῆς*. III, 30, 11. Dannus agrestium regnavit populorum, i. e. rex fuit, *ἐβασίλευσε λαῶν*. Trepidare autem quum propria sua vi non animi statum, sed corporis quendam indicet motum vel habitum, ex quo colligas, quo quis sit animi affectu, nihil continet, quod ex Genitivo notionis suae complementum requirat; nec, ad quam Graeci sermonis similitudinem hoc referas, in promptu est. Ceterum, quum jam plura quam velimus Latini poëtae, quae non propria essent Latini sermonis, sive ut dictionem poëticam supra vulgare loquendi genus efferrent, sive propter doctrinae ostentationem, ex Graecis asciverunt: cur, ubi opus non est, etiam nova iis obtrudamus? Contra haec trepidare in usum aevi non solum Graeciae, sed etiam Latinae linguae convenienter dictum est, quoniam in cum Accusativo saepe apud Latinos usurpatur ad eam rem designandam, ad quam in agendo cogitatio agentis dirigitur. Nam trepidare in rem nihil aliud est nisi trepidare cogitatione animi in rem conversa i. e. propter rem. Quod cur ut aliis exemplis firmetur Luebkerus postulet, non magis intelligo, quam si quis quamlibet dictionem linguarum analogiae convenientem exemplorum mole defendendam censeat. Ad haec etiam illud accedit, quod, si verba poscentis in usum aevi pauca in unum copulabimus, ex altera parte molestissimam haec et paene intolerabilem loquendi abundantiam afferent, quum, quid sit, si quis dicat, aevum s. vita pauca poscit, satis jam intelligamus, nulla indigentes uberiore rei explicatione; ex altera autem etiam desiderabimus aliquid, quo indicetur, in cuius vel rei vel hominis usum vita pauca poscat. Nam ut non latina esset oratio, si quis diceret: non multa posco in usum, quoniam nihil magis Latinitas

postulat, quam ut omnium verborum notiones accurata plenaque descriptione terminentur ac definiantur; ita etiam vix credo, ullum scriptorem Latinum sic loquentum esse: aevum s. vita pauca poscit in usum. Usum autem aevi s. vitae recte ac satis perspicue dictum esse pro iis quibus vita indigeret i. e. rebus ad victum cultumque vitae necessariis, cur Luebkerus dubitaret, nulla sane aut in ipsa verborum notione aut in usu linguae causa est posita. cf. Freund s. v. Denique, quod idem vir doctus his verbis in usum aevi per abundantiam quandam languidam illa adjecta esse pauca poscentis opinatus est, id quidem non satis mirari queo, quum horum verborum accessio, quoniam priora illa infinitius dicta sunt, paene necessaria esset, ut causa monitionis appareret, qua Delliium Horatius ab anxiiis curis revocare vellet. Nam propter hoc ipsum Delliium hortatur, ne trepidet in usum aevi, quod vita pauca poscit.

VIII. In Carm. II, 13, 18.

Miles sagittas et celere fugam

Parthi; catenas Parthus et Italum

Robur (perhorrescit).

Mitscherlichius eumque sequentes Doeringius atque Schellerus et Freundius in Lexicis Italum robur interpretantur carcerem, quia in carcere ab Anco Marcio rege exstructo et a Servio Tullio sub terra amplificato atque communito indeque Tulliano appellato eum locum, quem Tullius exaedificavit, vel quod roboreis trabibus munitus esset, vel omnino propter firmitatem robur appellatum esse, Festus auctor est; alii de compedibus roboreis accipiunt; Lambinus, Peerlkampius, Luebkerus silentio transierunt; reliqui interpretes quid sentiant non novi, quoniam eorum commentarii non ad manum mihi fuerunt. Atque prior quidem ratio, ut diximus, nititur Festi auctoritate s. v. **Robur** quoque dictus est in carcere is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod antea arcis robusteis includebatur. Cujus loci plenior descriptio apud Sallustium est Cat. 55. et Calpurn. Decl. 4. Mentionem ejus faciunt etiam Livius XXXVIII, 59. ut in carcerem inter fures nocturnos et latrones vir clarissimus (Scipio) includatur et in robore et tenebris exspiret. Tacit. Ann. IV, 29. Vulgi rumore territus, robur et saxum aut parricidarum poenas minitantium. cf. Lucr. III, 1030. Valer. Max. 6, 31.

Fuisse igitur in carcere publico locum inferiorem (cf. Liv. XXXIV, 44 extr.), qui robur diceretur, non est quod dubites, quem ipsum Calpurnius auctor est Tullianum esse appellatum. De eo vero carcere hoc Horatii Italum robur accipiendum esse, nec potui unquam nec nunc mihi possum persuadere. Nam primum, quum appellatio ista ab eo, quod propria sua latiusque patente vi vocabulum indicavit, propter similitudinem quamdam seu materiae, seu firmitatis ad certum ac separatum carceris publici locum translata esset, in hoc debebat ita haerere ac terminari, ut pro toto quidem, sed certo illo, carcere dici posset, nec vero rursus ita deflectere, ut latiore sensu de omni carcere diceretur. Qui igitur robur pro carcere dictum esse volunt, non poterunt nisi de certo illo carcere Tulliano cogitare, in quo Jugurtha exstinctus et Catilinae conjurationis principes necati sunt; ad quamvis autem custodiam et omnem vinculorum genus ne quis dilatando vocabulum illud transferat, linguae sane ratio vetat. Atque ne quaeram, num poeticae dictionis naturae talis rei appellatio conveniens sit, illud profecto certum et extra omnem dubitationem positum est, ineptissime Horatium insulsissimeque locutum esse, si foedum istum Romani carceris ac tenebricosum locum Italum robur appellaverit. Tantam inscitiam elegantissimo poetae, qui nihil molitur inepte, tribuere, quis est qui in animum inducat? Nam etsi Italum pro Romano dicere et Horatio et cuivis poetae in iis rebus licuit, quae ad Romani imperii, cujus sedes et quasi domicilium Italia erat, opes et amplitudinem publicaue instituta pertinerent, tamen in caverna ista horribili, in ipsa urbe sita, eandem admittere translationem perquam insipidum esset. Accedit etiam locutionis obscuritas, quum, qui incorrupto iudicio ex communi Latinitatis usu illa interpretabitur, ei non facile futurum sit ut carceris istius in mentem veniat. Verum si vel maxime Horatius tam insulsam, ut mihi quidem videtur, locutionem admittere voluisset, tamen hoc ita tantum facere potuisset, si moris fuisset Romani, quicumque bello capti vel qui ex Parthis capti essent, in Tullianum illud detrudere ibique necare. Quod uti propter loci angustias fieri non potuit, sic factum non esse constat. Bello enim capti, praeterquam si qui ex principibus populo Romano prae ceteris infesti atque invisi essent, neque in carcerem conjiciebantur neque trucidabantur, sed sub corona vendebantur. Qua ratione igitur Parthos Horatius dicere potuit carcerem timere Romanum? Quod

autem catenas quoque commemoravit, eo captivitatem graviore vocabulo indicare voluit. Robur igitur Italum nihil aliud esse credo, nisi potentiam viresque Italiae, i. e. populi Romani, in valido exercitu positas. Similiter, etsi non satis apte, Vossius in versione Germanica interpretatus est *italische Obmacht*, quum potius dicendum esset *italische Stärke*. Hanc autem vocabuli potestatem exemplis firmare nihil attinet, quum pervulgatissimam eam esse in linguae Latinae usu inter omnes constet. Sic Parthorum sagittis ac simulatae fugae praecclare opponuntur catenae validaque exercitus Romani firmitas invictaque fortitudo.

IX. In Carm. III, 3.

In consilio hujus carminis constituendo in tam diversas partes viri docti discesserunt, ut omnibus omnium exploratis examinatisque sententiis, ingenti vastaque rerum inter se discrepantium mole gravatus ac perturbatus, vix ipse quid statuas dispicere possis. Alii enim justitiam constantiamque laudare Horatio propositum fuisse volunt: at hi, quid longa Junonis faciant oratione, quae longe maximam carminis partem explet, non ita explicaverunt, ut in eo acquiescere possis. Alii Augusti laudes divinosque honores celebrari putaverunt; sed eadem hi, qua illi, difficultate implicantur. Alii Horatium hortari Augustum voluisse opinantur, ne sedem imperii Trojam transferret; verum hujus sententiae non solum nulla probabilis afferi ratio potest, quoniam a nullo scriptore, de hoc consilio Augustum cogitasse, traditum est, sed etiam, quomodo cum primis quatuor carminis strophis argumentum hujusmodi conciliari possit, non facile perspicitur. Alii denique alias in carminis hujus argumento explicando rationes inierunt; sed omnium, quas novi, nulla tam plana atque evidens est, tamque cum totius carminis institutione et argumentis conspirans atque congruens, ut non multam dubitandi materiam relinquat. Itaque etsi nec nova omnia me dicturum scio, nec quae exquisitoris aut doctrinae aut acuminis significationem habeant, tamen, quid ipse sentiam, paucis explicabo, id maxime docendum esse ratus, quaecumque esse carminis statuas summam, eam et ipsam esse probabilem et cum omnibus carminis partibus conspirare. Quoniam igitur ex primis sex hujus libri carminibus, in quibus nostrum est tertium, reliqua omnia ad rem publicam pertinent totaque vel in laudandis commendandisque publicis virtutibus,

vel in vitiis notandis et a republica detestandis versantur, consentaneum est, etiam hoc tertium carmen in simili argumento i. e. in eo quod rempublicam attingat occupatum esse. Hoc autem quale sit, primis statim carminis strophis Horatius indicavit. Constantiam igitur conjunctam cum justitia praedicat atque gravissimis rationibus civibus suis commendat, non ut communem quandam hominum, sed ut propriam antiquitusque traditam et quasi publicam ac civilem populi Romani virtutem. Itaque primum, quaecumque magna unquam facta sint, ea hujus esse virtutis vi ac beneficio perfecta, quum in univsum tum Dioscurorum, Herculis, Augusti, Bacchi, Quirini exemplis demonstrat; deinceps, jam ad ipsam populi Romani fortunam resque gestas, quippe praecipuum carminis argumentum, progrediens in Quirino inter Deos recepto subsistit, quem quasi personam populi Romani gerentem et quae magna et egregia Romani essent perfecturi auspiciantem facit. Hujus igitur tanta fuisse merita, illius virtutis beneficio edita, ut etiam Junonis inveteratum et implacabile odium a Trojanis in Romanos propagatum frangerent ac placarent. Hoc ut majore pondere ac gravitate illustraret, Junonem ipsam inducit in concilio deorum de Quirino inter ipsos recipiendo consultantium verba facientem: qua oratione se jam gravissimis de Trojanis propter eorum in deos perfidiam poenis suntis odium suum in eorum progeniem dimittere affirmat ac non solum ut Quirinus in deorum consessum recipiatur concedit, sed omnia etiam magna Romanis portendit omniumque gentium imperium pollicetur. Hac arte illud poeta consequutus est, ut et Quirini merita et Romanorum res gestae in clarissima illustrissimaque luce ponerentur, ut quae ne infestissima quidem Trojani nominis inimica celebrare dedignaretur. Quod autem hanc conditionem Juno promissis suis subjicit, ne Trojam Romani reparare velint, id possis quidem in eam sententiam accipere, ut ipsi Junonis personae, ne sibi non constare videretur, poetam illud tribuisse dicas. Verum quum eadem conditio identidem v. 37—38, 40—42, 57—58, ac gravissimis quidem verbis a Junone populo Romano inculcetur, etiam hanc cum summa carminis arctissime nexam et colligatam esse existimo. Itaque hanc illis monitionibus subjectam esse sententiam judico, tam diu Romanos illam rerum suarum amplitudinem partamque in orbem terrarum dominationem, quam constantia justitiaque sibi parassent, tuturos esse, quam pristinam morum integritatem vir-

tutemque illam antiquitus a majoribus traditam retinerent nec peregrinis moribus ac vitiis se commacularent: quam sententiam egregia arte poëta Junonis personae ita accommodavit, ut eam inveterato suo in Trojanos odio permotam in eo perstare fingeret, ne Trojam, Asiae urbem olim opulentissimam divitiisque, omnium malorum quasi seminibus, diffluentem, restituere in animum inducerent. Hanc illius loci explicationem ut amplectar, praeter totius carminis concentum colligationemque inde paratam, his maxime causis adducor. Primum quum odii sui in Trojanos eam maxime causam fuisse Juno simulet, quod perfidia Laomedon deos laeserit v. 21, consentaneum est, non solum ad veniam Romanis dandam Junonem, expleta ira, hoc ipso esse impulsam, quod a simili perfidia Romanos alienos solutosque videret, sed hac etiam una lege illud concessisse, ut orbem terrarum imperio suo regerent, si in illa sua virtute suisque moribus perstarent neque exterorum hominum culpa ac turpitudine se polluerent. Tum eam quam dixi poëtae mentem fuisse, etiam hac re mihi videtur satis aperte significasse, quod tamquam conditionem, qua tam ampla atque magnifica Romano populo portenderet, eam Junonis orationi sententiam inseruit, quae vers. 49 — 52 continetur:

Aurum irreperitum et sic melius situm;

Quum terra celat, spernere fortior

Quam cogere, humanos in usus

Omne sacrum rapiente dextra.

Nam his verbis ipsis nihil aliud praecipitur, nisi, quod saepe dixi, ut ab ea impietate ac turpitudine populus Romanus se contineat, ad quam auri affluente copia et insatiabili cupiditate homines corrumpi solent, id est, quae contraria est illi, ad quam cives poëta exhortatur, justitiae et constantiae. Haec si recte disputavimus, totius carminis haec jam erit summa: Quaecunque inter homines magna et egregia unquam facta sunt, ea sunt justitia constantiaque perfecta. Hac virtute non solum praestantissimi heroës, qui fabulis celebrantur, et ipse Augustus, immortalitatem consequuti sunt, sed etiam quae populus Romanus per orbem terrarum magnifica facta edidit, ex eodem virtutis fonte manaverunt ipsumque omnium gentium imperium illius virtutis vi paratum est. Quod ut stabile sit ac diuturnum, nulla re alia perfici potest, nisi ejusdem virtutis acerrimo con-

stantissimoque studio; neque enim diutius ea dominatio constabit; quam propriam illam suae naturae praestantiam populus Romanus retinebit et conservabit seque ab omni peregrinae turpitudinis contagione purum incorruptumque praestabit. His de consilio carminis disputatis, unum ejusdem locum, quem viri docti quorum quidem inspiciendi commentarios copia mihi facta est, non satis recte vel diligenter explicavisse mihi videntur; paucis tractare juvat, v. 13 — 15.

Hac te merentem, Bacche pater, tuae

Vexere tigres, indocili jugum

Collo trahentes

